

Doc. I.

ROBERTO CONTE. ALIFE, DICEMBRE 1094 (1093?), II IND. JOHANNES JUDEX ET SCRIBA.

Il conte Roberto offre il monastero di S. Maria «in loco Cingla» all'abbazia di Montecassino.

Edizione dall'O r i g i n a l e. Archivio dell'Abbazia di Montecassino. Aula III, capsula XI, n° 9.

Ed.: E. GATTOLA, *Accessiones ad Historiam Abbatiae Cassinensis...*, 1733, p. 713.

Cfr.: ABBAZIA DI MONTECASSINO, *I regesti dell'Archivio* a cura di T. Leccisotti, vol. II, p. 60: "Pergamena originale, mm. 688 x 310. Qualche rottura. Sigillo impresso perduto. Velo di protezione in seta rossa."

Riproduzione fotografica: Tavola 2.

† In nomine omnipotentis Dei et domini nostri ihesu christi. Anno ab incarnatione ipsius Millesimo nonogesimo quarto mense december secunda indictione. Dum quadam die ego Rodbertus comes filius bonae memoriae Rainulfi comitis colloquerer cum fidelibus meis scilicet Guillelmo Frasnella, et Ugone de castello potto et Citro vice comite, et Ruggerio de buscione, et Accardo singlerio, coeperunt me illi, ut pote prudentes et strenui viri inter cetera commonere de salute animae mee, et cura et honore, ac defensione ecclesiarum, et monasterium, et eorum precipue, quae essent in honore meo. Ne forte aut aliquam iniusticiam, seu violenciam ab ordinatis meis parentur, aut a suimet ipsius praelatis male, et saeculariter tractarentur. Interea commemorati sunt me de monasterio Sanctae Mariae quod situm est in loco qui dicitur cingla, quod ex multo tempore per malos ordinatos devastaretur et dissiparetur. et dei servicium nihilis neglegenter ibi fieret, quod profecto ad dannietatem mee anime pertineret. Suo haec etiam audisse se referebant, quod idem monasterium antiquitus sancto Benedicto montis casini pertineret. Quod si verum esset nullo alio modo melius illud ordinare hoc tempore posset, quam si

ipsum locum sub jure ejusdem monasterii casinensis remittere. Quo audito et diligentius perquisito, et ita omnia esse sicut illi dixerant invento statui et promisi de hoc hominibus secundum illorum consilium agere. Igitur quoniam ego qui supra Rodbertus comes ex antiquis praeceptis, et cartis predicti monasterii casinensis cognovi, qualiter sarracenus quidam sculdahis beneventanus cui locus idem iure hereditario pertinebat, ecclesiam ibi beati cassiani a fundamentis construxerat, et in eadem ecclesia, quoniam filium non habebat omnem omnino substantiam, et possessionem suam per consensum Gisulfi summi ducis gentis langobardorum concesserat et qualiter post modum per consensum et auctoritatem ejusdem ipsius ducis eandem ecclesiam cum omnibus sibi pertinentibus in predicto monasterio beati benedicti optulerat. Seu et qualiter dominus petronax qui tunc abbas in monte casino erat ecclesiam ibi in honore Sancte Dei genitricis Marie, cum auctoritate et adiutorio predicti ducis construens monasterium puellarum dei effecerat. Propterea ego qui supra Rodbertus comes perpendens, atque considerans justum et optimum esse prephato monasterio beati benedicti justitiam facere. Id circo pro salute animae meae et bonae memoriae patris mei comitis Rainulfi, nec non et predictum fidelibus meorum qui michi hoc dederunt consilium¹. Quam et pro salute, ac statu totius nostre gentis per hanc cartulam coram adhibitis testibus reddo pariter, et offero tibi beatissime pater Benedicte, et in tuo sacro monasterio cassinensi ubi ad praefens reverentissimus vir Oderisius abbas praesse videtur, totum ex integro predictum Sanctae Marie monasterium cum omnibus omnino pertinentiis ipsius, quae tempore patris mei tenuit, et meo tenuit et teni et de omnibus, quae intra honorem meum sunt. Ita ut amodo, et in perpetuum sub jure predicti tui monasterii securum, et quietum permaneat. De quibus supra dicti omnibus predicto videlicet monasterio Sancte Marie pertinentibus, nec michi nec meis haeredibus, nec aliucui hominum aliquod reservari, sed omnia ex integro in prephato

tuo monasterio remisi, et optuli, et confirmavi ad tenendum, et juste ac regulariter ordinandum, tam predicto venerabili abbate, quam et a ceteris in eodem tuo Sacro cenobio regulariter, promovendis, ut convenienter, et optime res ipsae tractatae ad indulgentiam, et salutem animarum nostrarum proficere valeant, et promitto, atque oblico me Ego qui supra Rodbertus comes, et meos heredes tibi, qui supra oderisi venerabilis abbas tuisque successoribus, hec omnia defendere, et antestare pro nostro posse contra omnis homines partes quod contra hoc nostre concessionis scriptum quolibet modo venire temptaverint. Quod si haec omnia non firmiter adimpleverimus secundum nostrum posse, vel si hujus nostre concessionis scriptum aliquo tempore infringere vel remove, sive minuere quolibet malo ingenio querimus, obligamus nos, nostrosque heredes tibi beate pater Benedicte tuisque abbatis composituros auri purissimi libras mille, et post solutam penam haec nostre concessionis cartula, firma et stabilis maneat in perpetuum. Iterum me, meosque heredes obligo et opto anathematis vinculo nisi ut supra promisi remoto omni colludio adimplevero perpetuo subjacere. Et taliter Ego qui supra Rodbertus comes sicut michi aptum, et congruum fuit feci, et tibi Iohannes iudex, et scriba scribere jussi. Actu Allifia.

EGO QUI SUPRA RODBERTUS COMES MANU PROPRIA ME SUBSCRIPSI²

- † Ego qui supra Guillelmus Frasnella
- † Ego qui supra Ugo de Castello Poto
- † Ego qui supra Citrus vicecomes
- † Ego qui supra Roggerius de buscione
- † Ego qui supra Accardus singlerius

¹ Questo periodo è stato letto differentemente da Gattola: *Idcirco pro salute animae meae et bonae memoriae patris mei comitis Rainulfi, et omnium parentum meorum, qui nichil hoc dederunt consilium.*

² Sottoscrizione in rosso del conte. *Rodbertus* in nesso monogrammatico. Traccia del sigillo perduto.